

causa; haec tamen si abfuerit, probabile est valere commutationem, modo suppleatur defectus, quia, cum in promissionibus humanis adimplendis non esset major obligatio, idem supponere licet in votis, cum Deus mitius nobiscum agere solet. (S. Alph. n. 245) Similiter ad commutationem in aequale bonum requiritur justa causa, sufficit tamen parva, ex. gr. major propensio, minus periculum transgrediendi. Ad commutationem in melius nullam causam requiri patet.

Facultatem ecclesiasticam commutandi vota habet quicumque dispensandi facultate praeditus est: nam minus in majori ejusdem speciei concessum intellegitur.

331. II. Quando votum commutatum est in minus vel aequale, licet redire ad prius: nam commutatio facta est in favorem voventis, cum tacita condicione, *si ei placuerit*. Idem etiam probabilius dicendum, ubi votum commutatum est in melius cognitum et acceptatum, nisi jam factum sit novum votum: nam nullum propositum obligat nisi interveniente promissione et animo se obligandi. (S. Alph. n. 248)

III. Si voti a legitima auctoritate commutati materia jam facta sit impossibilis vel indifferens, etiamsi id evenit culpa voventis, qui ex. gr. jejunium substitutum statuto die neglexit, non obligatur ad implendam priorem materiam voti: haec enim obligatio extincta est. Ubi vero commutatio facta esset sola voluntate voventis, neque impleri posset opus substitutum, prius implendum esset: nam tunc prior obligatio nullo actu extincta est. (S. Alph. n. 249)

SECTIO III. — DE TERTIO PRAECEPTO.

332. Effertur tertium Decalogi praeceptum his verbis: "Memento ut diem Sabbati sanctifices. „ Hoc praeceptum *naturale* est, tantum quatenus jubet aliquod tempus cultui divino impendere; Sabbati vero designatio et peculiaris ratio diei sanctificandae pertinebant ad legem caerimoniale, ideoque sub N. L. cessarunt. Ab Ecclesiae igitur constitutione repetenda est determinatio dierum sanctificandorum, seu Dominicæ et festorum, necnon rationis qua sanctificandi sunt. (2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.) Hinc etiam patet quodnam sit hujus praecepti subjectum. Cfr. n. 94.

Praeceptum istud, ut ab Ecclesia determinatum est, partim *negativum*, partim *positivum* est: negativum, quatenus certa quaedam opera prohibet hisce diebus, scil. a media nocte ad medianam noctem; positivum, quatenus praecipit assistantiam Missae. In quibusdam regionibus RR. PP. indulserunt in aliquibus festis diebus, salvo praecepto audiendi Missam, fideles operibus prohiberi solitis videntur.

CAPUT I.

DE OPERIBUS QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR.

§ I. DETERMINATIO OPERUM PROHIBITORUM.

333. I. Diebus Dominicis et festis prohibentur *opera servilia*: quae determinanda sunt tum ex operis natura, tum ex consuetudine in singulis locis recepta ab iis qui christiane vivere solent.

Opera respectu dierum festorum dividuntur in *servilia* et *liberalia*. Servilia, *vi nominis*, sunt ea quae ab iis tantum quos solemus dicere servos, seu operarios, fieri solent; *natura rei inspecta*, sunt ea quae corporis potius quam animae viribus exercentur et corporis utilitati deserviunt, ex. gr. arare, suere. Liberalia autem, *vi nominis*, sunt ea quae ab iis qui famulari non solent exercentur, ut legere, scribere; *natura rei inspecta*, sunt ea quae potissimum animae viribus peraguntur ejusque utilitati deserviunt. Praeterea multi AA. recensent opera *mixta* seu quae aequae ab operariis et ab honestioris condicionis hominibus fieri solent: quamquam hoc tertium divisionis membrum parum prodest.

In multis operibus sufficit eorum naturam inspicere ut pateat ea esse servilia, ex. gr. arare, lapides secare: quare nulla consuetudine haec licebunt quamdiu lex ecclesiastica stabit. In aliis vero, ut ducere currus onustos, res minus patet et locus est consuetudini, quae ea accenseat servilibus, vel ab istorum censu removeat.

II. Ad dignoscendum characterem servilem alicujus operis nihil refert:

1º Utrum fiat *ex lucro* an *ex recreatione*. Quare requiem die festo præscriptam violat qui opus servile, ex. gr. terram fodere, fabrum lignarium agere, ex recreatione obit; illam non violat qui opus liberale, ex. gr. transcribere, lueri causa praestat.

2º Utrum fiat *ex bona* an *ex mala intentione*. Quare requiem praecptam violaret qui fabrum ferrarium ageret die festo, ut salarium largiretur pauperibus; non violat qui hac die comoediam turpem exhibet.

Nota peccata die festo patrata, juxta probabiliorem sententiam, habere levem sacrilegii malitiam: quae tamen plerumque, ob inadvertentiam, non contrahitur; gravem autem sacrilegii reatum non contrahunt, nisi forte fiant in contemptum diei sacrae aut ex industria, ut haec dies profanetur. (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 519 seqq.; Ball. P. n. 13) Alii tamen hanc malitiam sacrilegii per se abesse putant, quia circumstantia temporis sacri moraliter extrinseca est his peccatis. (Struggl. tr. 8. q. 1. n. 10)

3º Utrum fiat *cum parva* an *cum magna defatigatione*. Sic servile est vestes consuere, licet exiguo labore id peragatur; non sunt serviles ludi histriorum, saltatio, longi cursus pedestres, licet quandoque in iis vires prorsus extenuentur, quia hujusmodi occupationes, natura sua, tendunt ad delectationem agentis vel aliorum.

Attamen quandoque consuetudo facilius quaedam licita facit, ubi sine spe lucri et cum modica fatigazione exercentur.

334. III. Ex his principiis sequentia statui possunt de operibus quibusdam in specie:

1º Licet *iter agere* diebus festis quacumque ratione, etiam curru vel navi, ac propterea licent omnia quae ad hunc finem obtinendum requiruntur, etamsi natura sua servilia sint. (S. Alph. n. 274 seqq.) Ideo excusantur qui nostris diebus opera hujusmodi suscipiunt vel indicunt ad viatores via ferrea transvehendos.

2º *Ducere currus vel narigia onusta*, S. Alph. (n. 276) opinatur probabilius non esse servile, non tantum quando iter jam coeptum continuatur; sed etiam quando die festo inchoatur. Attamen, spectata consuetudine in nostris regionibus vigente, id reputatur servile, quotiescumque currus vel navigia cum magno labore sunt oneranda; sed excusat non raro utilitas publica, aut damnum vitandum, ex. gr. in quibusdam mercibus transvehendis via ferrea vel navigio imponendis.

3º Seclusa consuetudine contraria, non reputatur servile *molere*, quando mola agitur aqua, vento, vapore vel, si cooperatio hominis est modica, etiam bestiis. (S. Alph. n. 277; Ball. P. n. 24)

4º Non reputatur servile, saltem probabilius, *pingere*, quando id per modum artis exercetur; servile autem foret terere colores, dealbare parietes, etc. *Sculpere* vero plerique AA. cum S. Alph. (n. 281) inter artes mechanicas et consequenter inter opera servilia reponunt; sed rectius picturae assimilari ducimus. Quare sculptoribus figurarum licet, diebus festis, exequi ea quae ad artem pertinent, ut status perficere;

non licent ea quae potius ab operariis proprie dictis peragi solent, ut lapides parandis statuis secare, marmora polire, etc. (Ball. P. n. 29) Artem photographicam exercere, aliqui (ut D'Annib. III. n. 121. nota 8) simpliciter licitum reputant, alii ut Berardi (Prax. Conf. n. 372) rectius opinantur licere quatenus non poscit magnum laborem, ex. gr. ad sumendum, quam vocant, negativam imaginem: nec puto hanc restrictionem a mente priorum recedere.

5º Servile non videtur *delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu*, ut solent feminae, *acu pingere*. (S. Alph. n. 281) Rationem afferunt sat difficilem: quod haec magis referuntur ad exercendum ingenium quam ad operandum. Certe non licent ceteri labores, etiam leves, quos in vestibus ornandis ponere solent feminae.

6º *Imprimere* censetur opus servile; quidam tamen licitum putant characteres, die festo, collocare, quia hoc spectat potius ad conceptus mentis exprimendos, fere sicut scriptio. Licet haec ratio valde debilis sit, attendendum tamen probabilitatem a S. Alph. (n. 279) huic opinioni agnoscere. Melior excusatio quandoque desumetur ex urgente necessitate, puta in imprimendis ephemeridibus vel nuntiis.

7º *Venatio et piscatio* non reputantur servilia opera, nisi cum magno labore conjugantur. (S. Alph. n. 283)

8º Labores levissimi, ex. gr. *conficere rosaria, scapularia, imagines cereas, flores artificiales, etc.* per se sunt serviles; attamen, praesertim quando privatim peraguntur, non autem, sicut per hebdomadam fieri solet, a mulieribus in unum congregatis, saepe per consuetudinem licent. (Gury. I. n. 236; Ball. P. n. 38)

9º Labores etiam ardui qui fiunt *ad coquendos cibos, vel ad usum domesticum cotidianum*, ut purgare vestes, calceos, domum, non reputantur serviles, vel saltem numquam sunt prohibiti. Non sunt tamen absque causa confiendi, die festo, cibi qui serventur in hebdomadam. Ceterum quatenus liceant labores domestici, melius docet consuetudo. (S. Alph. n. 298; Ball. P. n. 67 seqq.)

335. IV. Prohibentur diebus festis etiam *opera judicialia*, ut citare testes, exigere juramentum judiciale, proferre aut exsequi sententiam, in tribunalibus tam civilibus quam ecclesiasticis. Constat ex Jure Canonico. (Decr. I. 2. t. 9. c. 1) Attamen licent ea quae sine strepitu judiciali exerceri possunt, puta judicem privatim informare, advocatum consulere, consilia confidere. (S. Alph. n. 284 seqq.) Plures exceptiones his generalibus regulis apponunt veteres AA. quas videsis apud Canonistas in cit. tit. Decretalium.

Haec prohibitio satis servari solet in nostra regione; sicubi non servaretur, saepe ob causam gravem excusaretur cooperatio materialis in iis qui citarentur, etc.

V. Prohibentur tandem Jure Canonico (l. c.) **opera civilia** seu **mercatus**. Haec tamen prohibitio magna ex parte in desuetudinem abiit. Ideo jam videtur hodie universim licitum contractus, ex. gr. emptionis, venditionis, perficere, nisi intervenire debeat publica sollemnis seu judicis auctoritas. (S. Alph. n. 286) Regulariter tamen venditiones in officinis, saltem apertis, manent prohibitae; licent vero ubi adest consuetudo contraria, quae certe in Belgio videtur obtinere. Idem dicendum de nundinis quae saepe, in nostris regionibus, die Dominica celebrantur, vel de venditione sub hasta. (Gury, I. n. 356) Reapere nostrates, etiam timorati, non solent quidquam ex his ut peccatum accusare: quae bona fides non est pertubanda, eo vel magis quod, omnium consensu, magna est vis consuetudinis in rationem observandi festa. Conandum tamen ut officinae claudantur et mercatus diebus istis minuantur, cum praesertim nimia haec negotiandi consuetudo multos a Sacro audiendo abducat.

VI. Prohibitio operum tum servilium, tum forensium (judicialium et civilium) est **gravis ex genere suo**.

Quanto autem tempore laborandum sit ut compleatur materia gravis, plurimum discrepant AA. Plerique hodie, post S. Alph. (n. 305), requirunt ut multum ultra duas horas, puta per duas horas cum dimidia, producatur labor prorsus servilis; etiam ultra tres horas, si labor est servilis, sed valde tenuis. Hinc patet raro graviter peccare eos qui recreationis causa privatim laborant, quia labor solet esse valde tenuis, neque ultra tres horas produci. In forensibus autem gravitas non pendet a quantitate temporis, sed a qualitate negotii peracti, puta si, absque justa ratione, causae publice agerentur die festo.

Practice, cum saepius judicandum sit de facto praeterito, attendendum est ad conscientiam poenitentis: nam ab hac pendebit mensura reatus. (n. 48) Insuper cavendum a scandalo quod in locis strictioris observantiae facilis grave foret si quis publice, etiam per sat breve tempus, laborem prorsus servilem exerceret.

§ 2. DE CAUSIS OB QUAS LICEANT DIEBUS FESTIS OPERA SERVILIA.

336. Hic tantum agemus de causis ob quas lex prohibens opera servilia cessen ab intrinseco. Nam de dispensatione jam dictum est n. 119 seqq. Hae autem causae reduci possunt ad tres: pietatem erga Deum, caritatem, necessitatem.

I. Ex pietate licent certe opera quae *proxime* spectant ad cultum Dei, ut pulsare campanas, circumferre imagines in processione; quae

autem ad eundem omnino *remote* spectant, ut vehere lapides ad construendam ecclesiam, dealbare parietes templi, conficere corporalia, planetas et similia ornamenta, non licent nisi in favorem ecclesiae indigenit. Indigentes autem censeri possunt hodie multae ecclesiae, cum jam Salmantenses, a S. Alph. (n. 293) citati, sentiant fere omnes ecclesias et monasteria suo tempore egestate laborare.

Tandem actiones quaedam, quae *medium tenent* inter duas species supradictas, ut verrere templum, coquere hostias, tabulata erigere ad piam festivitatem necessaria, certe non prohibentur sub gravi; inspecta autem consuetudine vigente, videtur veniale illa transferre ad diem festum, si pridie commode fieri possent, quamquam S. Alph. (n. 292) satis probabilem dicit sententiam quae id etiam a veniali excusat.

II. Ex caritate erga proximum, licet opera, etiam servilia, praestare quae necessaria sunt ad subveniendum aegrotantibus, vel quae ipsi pauperes, ob propriam necessitatem, pro seipsis facere possunt, ut si quis ex caritate reficeret eorum vestimenta quae ipsi, die festo, licite reficerent.

Laborem autem assumere ut ejus fructus vel stipendium pauperibus tribuatur, non licet, ubi illi versantur tantum in communi necessitate; licet tamen unicuique, prout ipsis pauperibus, ubi isti in gravi vel extrema necessitate versantur. Insuper, si conficitur vestis vel res similis quae non sit vendenda, sed ipsis pauperibus tribuenda, id probabiliter licitum opinatur Ball. P. (n. 60), neque abhorret Lehmkuhl (I. n. 552).

337. III. Ex necessitate propria vel aliena, licent opera servilia si absque gravi incommodo aut detimento animae vel corporis omitti non possint (n. 114). Hinc:

1º Licet servis, ancillis, operariis aliisve personis subditis morem gerere heris vel parentibus qui ipsis diebus festis, opera servilia absque justa causa praecipient, quotiescumque id sine gravi damno recusare nequeant. Hinc non est plerumque imponenda operariis obligatio desideri herum a quo his diebus laborare jubentur: nam plerumque alium, vel nullatenus, vel nonnisi cum magno salarii detimento reperire possunt. Generatim ergo confessarius consilium tantum id faciendi tribuat ubi putat profuturum.

2º Excusantur qui diebus Dominicis festisque lavant reficiuntve vestes suas aut suorum, eo quod per hebdomadam, aliis operam suam locantes, id praestare nequeunt, ut crebro contingit in ancillis et operariis.

3º Privatum et absque scandalo laborare licet pauperibus qui, nisi id faciant, non habent quo se suosque alant, vestiant, etc. (S. Alph. n. 297)

4º Licet pistoribus confidere diebus festis panem et placetas, ut possint recentes ementibus praestare. Similiter lanionibus licet animalia occidere et excoriare, si pridie commode fieri non potuerit, ut solet evenire in magnis civitatibus; non autem in oppidulis, nisi sit tempore aestivo vel nisi concurrant plura festa. (S. Alph. n. 298 seqq.)

5º Licet prosequi opus quod semel coeptum non potest sine damno interrumpi, ex. gr. coquere lateres, conflare ferrum et vitrum, etc. Attamen notandum heros officinarum (usines, hauts-fourneaux) teneri sub gravi ad prosequendam diebus festis eam tantum operum partem quam sine notabili damno interrumpere non possent. Saepe enim omnia indiscriminatim prosequuntur eo tantum fine ut majus lucrum reportent.

6º Excusantur qui laborant propter necessitatem aliquam publicam vel privalam quae moram non patiatur, ex. gr. in reparanda via ferrea vel ponte, in resarcienda rota currus qui sequenti die in itinere adhibendus est, etc. (S. Alph. n. 300)

7º Sartores, sutores similesque operarii excusantur si labores suos protrahunt in diem festum quia res urget, puta ad conficiendas vestes funebres, ad satisfaciendum clienti exspectanti et aegre ampliore dilationem passuro, etc. Sed cavendum est ne se absque causa sufficienti in hanc necessitatem conjiciant, plura opera assumendo quam quae cum operariis suis ante diem Dominicam perficere possint: hoc enim facere prohibendi sunt, nisi in aliquo casu opus oblatum sine magno damno recusare nequeant. In praxi confessarius severum se exhibeat erga eos qui *consuetudinem* diebus festis laborandi contraxerunt, facilium cum iis qui *interdum* id faciunt: hi enim, non illi solent jure excusari. (Ball. P. n. 76 seqq.)

8º Agricolae opera ruralia praestare possunt ad cavendum damnum, ex. gr. e pluvia imminens, ut metere, faenum colligere, fructus decerpere, etc.

9º Probabilius etiam excusat ratio faciendi magni lucri *extraordinarii*, quia talis lucri amissio moraliter idem est ac pati magnum damnum, saltem pro iis qui se laboribus suis sustentant. (S. Alph. n. 301)

10º Licet laborare ad paranda ea quae ad publicam aliquam festivitatem necessaria sunt, ut confidere theatra, lampades illuminandae civitati disponere et similia, dummodo haec die profecto commode fieri non possint. "Ratio, quia talia signa laetitiae sunt reipublicae moraliter necessaria: et ideo permittuntur ex consuetudine." (S. Alph. n. 304)

11º Excusat etiam ratio otii vitandi, non quidem universe, ut patet, sed quando labore vitari potest periculum vere probabile labendi in

peccata: nam ad vitandum damnum spirituale licere debet quod licet ad vitandum temporale. (Ball. P. n. 82) Ideo permitte posset aliquis labor *domesticus* operario qui, nisi ita occupetur, solet adire cauponas, ineibriari, blasphemare, etc. Similiter dicendum de iis qui, cum nulla delectamenta habeant, moraliter loquendo, per solum laborem a peccatis multis abstinebunt, quales sunt carcere detenti. Si qua pia mulier de otio dierum festorum quereretur, nec tamen in molestis temptationibus causam excusantem haberet, posset ei consuli ut conficeret ornamenta pro ecclesiis indigentibus vel vestes pro pauperibus. (n. 336; cfr. Tam-bur. Decal. I. 4. n. 18)

CAPUT II.

DE MISSA DIEBUS FESTIS AUDIENDA.

§ 1. DE RATIONE QUA MISSA AUDIENDA SIT.

338. I. Praeceptum Ecclesiae obligat omnes baptizatos usum rationis habentes ut diebus Dominicis et festivis intersint Missae, i. e. sacrificio N. L. una cum caerimoniali quas eidem Ecclesia adnexuit. Constat ex antiquissima consuetudine, quam Jus Canonicum supponit potius quam promulgat. (Deer. Gratiani, p. 3. de Consecr. dist. 1. c. 62)

Nullum vero positivum praeeceptum adstringit fideles ut, his diebus, intersint aliis quibusvis functionibus sacris, puta Vesperis, contioni, etc. Ratio est, quod de tali praeecepto, neque sub gravi, neque etiam sub levi constat: quod et consuetudo hodierna, etiam in nostris regionibus, abunde confirmat. (Ball. P. n. 161 seqq.) Quare ad haec pietatis exercitia fideles consilio, non stricto praeecepto impellendi sunt. Attamen interdum dari posset obligatio etiam gravis ut aliquis interesset contioni vel catechesi, nempe si ignoraret ea quae de religione scire teneretur, et aliud medium ad haec addiscenda adhibere nollet vel non posset. Quousque haec obligatio se extendat, patebit ex antea dictis de sciendis ex necessitate medii vel praeecepti. (n. 191 seqq.)

339. I. Missa *integra* diebus festis est audienda: quod praeeceptum per se sub gravi obligare consentiunt omnes; quamnam vero partem absque gravi peccato omittere liceat, multum controvertitur. Haec determinatio minus utilis est ad definiendum reatum omissionum par-